

## BORNES



**B**ORNES Hispaniæ Beticæ oppidum, quæ ab euentu Andalusia dicta est, Cuius appellationis causam antè, quàm huius loci conditionem explicabo. Hispania longo tempore sub dominatu Græcorum recta fuit ferè vlque ad tempora Romanorum, præter illa tempora quibus Asdrubal & Hannibal Pœnorum duces in aliqua Hispaniæ parte dominati sunt. Demum constat, quosdam Romanos cōsules amicitie, ne dixerim subiectionis, nomine quosdam Hispaniæ prouincias obtinuisse: idque egisse legimus Iulium Cæsarem, qui plurimis acceptis cladibus prius totum pene orbem perdomuit, quam Hispania sibi plenè cessisset. Sed & plures alios constat Hispanias tentasse subijcere, quorum aliqui prius vitam finire, quàm victam Hispaniam occuparent. Post quos Vandali, Alani, Hunni, & Sueui Hispanias sunt aggressi. Quæ siquidem Barbaricæ gentes causam Hispanias ingrediendi habuerunt, pro eo quia Theodosius Imperator eos insequens à Gallis fugauit. Quare pulsi sunt Pyrenæos montes transire. Hispanias ergo inuasere, easque diuiserunt. Alani enim Lusitaniam, & Carthaginem fortitissimi, Vandali Galleciam, Sueui maritima, & occidua Oceani obtinuerunt, & partem Celtiberiæ, dum Romani Saguntum & Numantiam & nonnullas alias vrbes tenebant.

Hi Vandali, plerisque Bohemi, Russi, Dalmatæ sunt, sed eorum ditio non tam latè patuit, potius magnam Saxoniam partem occuparunt olim Holsatiam, Daniæ partem, & vbi nunc Hanseaticum fœdus, vrbes modò opulentas atque præclaras habet, quæ in istius societatis legibus atque statutis Vandalicæ nuncupantur. Ex hacigitur gentium officina, cum Alanis & Hunnis Vandali in Galliam, tum in Hispaniam se latè effundentes, Beticæ prouinciæ partem occuparunt, quæ inde Vandalia nunc Andalusia dicitur, Et famosis est decorata vrbebus, quarum complures hactenus exhibuimus. Nunc ea occasione, qua Malagam profecti sumus, etiam hoc oppidum vulgò Bornes nūcupatum, ob situm valdè elegantem in itinere expressimus, quod locum occupat planum, compactum, olei & frugum feracem, vnde nobilibus & patritijs viris hortos cultura præstantes & venationis recreationem præbet. Vterius porrò, asperrima & inhabitata steriliū montium iuga se offerunt, Quorum saxosa, horrida & inculta conditio, Bornensium agros felicitatemque magis commendat. Cùm contraria, iuxta se posita, magis elucescant.

## ZAHARA.

**M**irabilis Zaharæ situs Hofnaglium induxit, cur vtrumque istius in Betica Hispaniæ Prouinciæ, oppidi & castri latus spectandum exhibuerit, Inter Asindam & Arundam in alta & prærupta petra, tanquam specula, & vigiliarum statio, prisca temporibus ædificatum, Granateni verò bello celebre, cuius causam & occasionem, Deo permittente, præbuit. Dum enim Hispaniæ Christianissimi Principes bello Lusitanico districti, studerent bella intestina dissensionesque ciuiles componere, atque piratarum grassatorumque latrocinia coercere, ac præterea leges ferre, quibus futuræ tranquillitatis pacisque fundamenta iacerentur, & ob id temporarias cum Mauris inducias pacti essent, Hali Abenhazan Maurorum Rex, contra fas, iuraque, fœcialia ac induciarum pacta conuenta, certior factus præsidio vacuum ZAHARAM, (dum Christiani alijs in rebus occuparentur, nilque sibi à Mauris, propter inducias cum ijs transactas, metuerent) noctu expugnat, Arcis præsidem, præsidariosque, crudelissimè obtruncat, matres, virgines, viros, puerosque victos, cum armentis & gregibus pecudum in speciem triumphum ducens, arce castelloque validiori præsidio munitis, victor, tanquam re benè gesta, ad suos recedit. Quæ res, vt opinor, à Deo permissa, belli Granatenis opportuna causa fuit, & Maurorum, ob violati fœderis & iurisdictionis nefas, perditionis & interitus. Enimverò ZAHARA postmodum in Christianorum potestatem sic redijt. Marchio Gaditanus, cùm ab exploratoribus accepisset Zaharam castellum, incolis exhaustum esse, & negligentius obseruari, Ludouicum Portucarrerium Palmæ ad Singilim Dominum, adsciscit, & ex Asindo atque finitimis, vnde cumque potuit, equitatum sibi adiungit, perque mediæ noctis silentium Zaharam proficiscitur, iuxta muros secreto quodam loco armatos decem ponit, & post illos proximè alios septuaginta, ipse autem cum reliqua manu non longè in insidijs latet. Sub primam lucem dimittit aliquot ex peditibus, qui per campos grassarentur. Ex Castello erumpunt equites ad septuaginta, (neque enim plures erant) quos sequuntur vigiles & circitores, & qui præcedenti nocte in stationibus fuerant, murorumque custodiam deserunt, non enim putabant interdiu Castellum expugnari posse. Interea ex militibus Christianorum vnus scalas munitionibus admouet, murum scandit, quem decem suprascripti sequuntur partemque muri occupant, pugnamque cum Castellanis conferunt, Accurrunt reliqui septuaginta atque vnam ex portis capiunt. Qui ex castello eruperat, cùm audissent hostes intra munitiones admissos, ad mœnia se recipiunt, quos insequuntur, qui latebant in insidijs, & cum fugientibus simul castelli portas intrant. Castellani in Arcem coeuntes, obsidentur, & quia plures erant, deficientibus alimentis, diu in obsidione durare non poterant, ex pacto Arcem Marchioni tradunt, ipsis autem abeundi quò vellent permittitur libertas, Atque ita Zahara, Marchionis Gaditani industria, Mauris erepta & à Christianis recepta fuit.